





TRIUMPHUS RUTÆ SAXO NICÆ,

*Subjetissima Devotionis atq; Gratitudinis
causâ,*

Die 2. Julij St. N. ANNO O. R. 1673.

BUDISSÆ, IN ELECTORALI
SAXONICA METROPOLI ILLUSTRIS MAR-
CHIONATUS LUSATIÆ SUPERIORIS,
*Coram solenni LITERATORUM Co-
ronâ, & Confessu,*
Publicâ

Oratione, eâq; Valedictoriâ,
habitâ, humillimè adumbratus

per

MARTINUM-ANDREAM STUBRIZ,
BUDISSA-LUSATUM.



DRESDÆ, Characterẽ CHRISTOPH. BALMANNI,
M. DC. LXXIII.

QX 7/22/

VDT

m.c

RUTA SAXO- NICA,

Oratione eleganti Latinâ

Subjectionis & discessûs vicem dicturus

Nobiliss. Clariss. & Consultiss. VIRI

Dn. MARTINI STUBRITII,

In Curijs Lusatiae superioris Provincialibus Budiss.

& Gorliciens. Caussarum Advocati Jurati ordinarij

per annos plurimos celeberrimi

Filius primogenitus

MARTINUS ANDREAS

Patrones Promotores Fautores ac Praeceptores suos

aeternum veneraturus

humillimo ambitu

ad se benivolè & benignè audiendum,

praesenti Praeceptoris schediasmate

JOH. Zheiss/M.P.L.C. Schol. Evangel. Budiss. Rectoris

ad diem crastini

invitat

Salviam cum Ruta faciunt tibi pocula tuta

ita Schola Salernitana c. XX. physicè:

nos intelligemus & applicabimus moraliter

de Salvatoris polo & Ruta Saxonica solo

addentes I. Regg. IV, v. 25.

Salvator Rutæ nobis det pocula tuta,

pocula tuta solo, pocula plena polo.

BUDISSÆ, Typis BAUMANNIANIS.



2.

Uamquam Hieronymus Wolfius (*Annotation. in Parane-*
sin Isocratis) de præpositione Græcâ ἐν quædam ē Lexi-
cis & Grammaticorum Commentarijs adducturus non
consultum videri ajat libros, qui in manibus sunt, compila-

ri, statim tamen *οὐ φυλακτικῶς χάριν* subjicit, Tamen admonendi caus-
sâ quid oberit unam atq; alteram pagellam implere. Hoc ego meum
faciens in telâ, quam præcedd. aliquot schediasmatis orsus sum, per-
texendâ confidenter pergâ, atque bonorum Autorum sententias,
quarum elaborandarum *presens* etiam *Declamator* pars magna fuit,
glossematio quandoque aliquo vestitas exponam. Atq; ex sunt ex

1. 2. *Curtio* seqq. Apud quem *ἐπικυλίκετο λόγος* Cobaris (*lib. VII, 4, 10:*)
iste est: *In suo quisq; negotio hebetior est, quàm in alieno.* Vitium hoc
est naturæ nostræ pravæ ac sinistrae, quod in Damascippo quoq; notat
Horatius lib. II. Sat. 3. v. 19. — — — *aliena negotia curo*

excussus proprijs — — —

atque Furnio objicit *Tullius lib. X. epist. 26.* “O mi Furni, quàm tu
“causam tuam non nôsti, qui alienas tam facilè discas. Ita *Isido-*
rus Cynicus Neronem corripuerat, teste *c. 39. Suetonio*, Quòd Nau-
plij mala bene cantitaret, sua bona malè disponderet. Monemur er-
go ut in re nostrâ aliorum potius consilia sequamur: qualium? *Sira-*
chus monstrat *c. XXXVII, 15 seqq.* “Semper cum pijs versare, quos
“scis servare præcepta Domini, qui animis & voluntatibus tecum,
“conjuncti sunt, & si quando hallucinatus fueris, communi dolore,
“afficiuntur: & acquiesce in consilio piorum, non enim melius in-
“venies, Nam unus ex his sæpe plura prospicit, quàm septem vigi-
“les in speculâ sedentes “. In Græco hinc est, *ψυχὴ γὰρ ἀνδρὸς ἀπαγ-*
γέλλειν ἐνίοτε εἰώθειν, ἢ ἐπὶ τὰ σκοποὶ καθήμενοι ὅππῃ μετεώρη ὀπισκοπῆς. Egre-
giam addidit explicationem *David Chytraeus*, quam vide. Subjicit
verò *Sirachus*, *Sed in his omnibus invoca Altissimum, ut dirigat viam*
tuam per veritatem: unde *Joachim Camerarius*

Tu rege consilij actus Pater optime nostros,
nostrum opus ut laudi serviat omne tuæ.

Por.

Porro *lib. ejusd. c. XI. §. 10.* regis Alexandri vox est, *Nihil tam altè natu-* II.
ra constituit, quò virtus non possit eniti. Nobilissimam hanc appellat
sententiam Freinshemius in Commentario, eamque non tam paral-
 lelis locis quàm Celsissimi Ducis Saxoniae BERNHARDI factò illu-
 strat & confirmat heroico. Sed vereor ut sit ex asse universalis: ob-
 loquetur enim iterum & contradicet laudatus *Sirachus cap. I. princi-*
pio, immò ipse *Deus*, qui solus est omnipotens, ejus verò creaturis
 multa impossibilia, quod nec Ethici negassint Dd. ubi de *Electione &*
Consultatione ipsis sermò est. Et Scythæ contradixerunt, quando Ale-
 xandro in mentem revocant, *Nihil tam firmum esse, cui periculum non*
fit, etiam ab invalido (*lib. cit. c. 8. §. 15.*). Ipse sanè Alexander fatebi-
 tur, non ad omnia eniti posse virtutem, si scriptorem ejus consulue-
 ris *lib. IX. c. 9.* ubi visere voluit — — quàm terra extrema refuso
 pendet in Oceano (*Lucan. II. X, 797.*)

sed conatu irritò. Dicant ergò, qui volent, audaciori ornatu &
 ementiente superjectione, ut hyperbolen vocat *Fabius*, In viam vir-
 tuti nullam esse viam cum Nasone, nos Fabritio potiùs assentimus
 dicenti, *In via nam fidei nulla est via*; immò ipsi nostro Salvatore,
Omnia possibilia (sunt) *credenti*, *Marc. IX, 23.*

Porro de *adulatione*, quam, uti reverà est, *perniciosa* appellat III
Curtius lib. II. X. c. 5. §. 7. hæc profert, *Regum opes sæpius assentatio, quàm*
hostis evertit. Etenim *miser est Imperator, apud quem vera reticentur,*
 uti scribit *Capitolinus in Gordiano tertio.* Perspicuè hanc rem descri-
 bit in *Institut. Politico-Christiana lib. I. c. 18. Carolus Scribanus.* “Ubi
 principatum adeptus fueris, comes coronæ adulatio subintrabit,
 aderunt passim, quibus omnia Principum, honesta atque inhone-
 sta, proba ac improba laudare mos est. Aderunt, qui fallacibus
 blanditijs, osculis, amplexibus odia velare didicerunt. Quin adeò,
 qui in illum diem, innoxia fuerunt bonitatis, simulare discent,
 mentiri, fallere, adulatoriâ humilitate captare, mente aliud velle,
 vultu aliud polliceri, cùm his moribus viam sibi ad magna sterni
 viderint. Cùm enim candore verborum, factorumq; simplicitate

“nihil sibi reliquum senserint, convertentur ad insidias, ut, quod
 “virtuti negatum, fraudibus consequantur. Jam sua quemq; utili-
 “tas quò non, etiam magnos, propellit? ingens vis, ac nescio an alia
 “major: ut oblivionem quandam virtutis inducat, ubi viderint, aut
 “hàc eundum semitâ, aut aliâ excludendos. Perpauci enim sunt,
 “quos sola veri ratio tenet: severior hâc est, ac licet solido mentem
 “gaudio afficiat, blandimento caret. Quod si non desint Princi-
 “pes solidarum virtutum ac severioris constantiæ amatores, non
 “deerunt, qui toto pectore talibus incumbant, cum præmia sine-
 “ritati parari viderint & constantiæ mercedem suam stare: Nunc
 “cùm videant, quò quisq; promptius in adulationes ingenium tulerit,
 “hoc ad majora provehi, induunt hos mores, neq; principibus
 “jam, sed principum fortunæ inserviunt, cum hâc loquuntur, huic
 “consilia largiuntur: ita fit, ut nemo suadeat, quod decet. Princi-
 “pis enim frontem intuentur, ac in quam ille partem, in hanc se
 “prono corpore propellunt, justum nimirum probumq; illis, quod
 “justum probumq; Princeps judicaverit. Dum enim placere stu-
 “dent, offendereque verentur, in sententiam illius eunt omnes:
 “non facerent, si Principem, non fortunam illius, amarent, aut si
 “plus virtuti quàm commodis suis studerent, si majora à Deo, quàm
 “à Principe sperarent: nunc præsentium amore æternorum obli-
 “scuntur.

IV. Sed & hoc, disciplinæ præsertim atq; boni ordinis servantio-
 ribus, observandum & memori figendum pectore, *Orta licentia à*
paucis, ut ferè fit, in omnes se repente vulgat (lib ejusd. c. X. §. 16): namq;
 — deteriores omnes sumus licentiâ
 juxta Comicum *Heautontim. III, 1, 74.* unde vaticinans quasi Demea
 in *Adelpbis III, 5, 63.*

— — nimia illæc licentia
 profectò evadet in aliquod magnum malum,
 & Chremes ad uxorem *Heautont. IV, 1, 35.* Malè docet te mea facili-
 tas multa, Proinde exclamat *Tullius (lib. III. in Verrem),* “O consue-
 tudo

tudo peccandi, quantam habes iucunditatem in improbis & audacibus, cum poena abfuit & licentia consecuta est. Non enim ibi, dicente *Vellejo lib. II. cap. 3.* consistunt exempla, unde coeperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè evagandi sibi viam faciunt: Et *Sallustius in Jugurtinâ* scribit, *Remoto metu laxius licentiusq; futuros*, quod & *Horatius* censet in *de Arte v. 232.*

In vitium libertas excidit — — —
Florus quoq; *lib. II. c. 5.* Liburnos scribit licentiæ, quam sub Teutana muliere nacti erant, scelus addidisse. Ita *Justinus de Ptolemæo Philopatore* Agathocliæ meretricis illecebris capto memorat, non ipsum solum magnitudinem nominis ac majestatis oblitum noctes in stupris, dies in convivijis consumsisse, sed deinde etiam, crescente licentiâ, nec parieribus regiæ domûs meretricis audaciam contineri potuisse, *lib. XXX. c. I. & II.* Nepos quoque *Cornelius in Eumene c. II.* ubi de phalange Alexandri Magni (Argyraspidas dictos scribit *Justinus lib. XII. c. 7. & XIV. c. 7.*) quæ Asiam peragrârat, Persasque vicerat, mentionem injicit, nempe *in veteratâ cum gloriâ tum etiam licentiâ non parere ducibus, sed imperare postulâsse*, periculum esse dicit, ne faciant Romanorum veterani, quod illi Macedonum, suâ intemperantiâ nimîâque licentiâ, ut omnia perdant, neque minus eos, cum quibus steterint, quàm adversus quos fecerint. Causam quoque tangit *Romanus Sapiens*: nam postquam *epist. XCVII.* dixisset, *Omne tempus Clodios, non omne Catones feret*, statim addit, *Ad deteriora faciles sumus, quia nec dux potest, nec comes deesse, & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non primum est tantum ad vitia, sed præcepta.* Et, quod plerosq; inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori sunt, offenduntq; deerrantem, vitæ peccata delectant. Et post pauca, *Id pravâ consuetudine evenit. Quam confirmat etiam Satyricus* — — — dedit hanc contagio labem.

& dabit in plures, Sicut grex totus in agris

unius scabie cadit & porrigine porci,

uvaque conspectâ livorem ducit ab uvâ

(Ju-

(*Juvenal. sat. II. v. 79. seqq.*) Et poëta consularis *Ausonius*,
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum
corpus, & exigui quamvis discrimine membri
tota per innumeros artûs compago vacillat.

(*epist. XXIV. ad Paullin. v. 28. seqq.*) Et præsul Hipponensis (*epist. III. ad
Julianum Comitem*). Sæpe per ovem unam morbidam grex pollui-
tur; & modica pars fellis magnum dulcorem vertit in amaritudi-
nem. Videndus iterum *Seneca epist. XII. (*)* Οὐκ οἶδατε, inquit Apo-
stolus *I. Cor. V. 6*: ὅτι μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύρμα ζυμοῖ; quod ipsum *Ter-
tullianus* ad hæresin quoque licentiosius grassantem accommodat,
quando de *Marcione lib. I. c. 2.* inquit, *Modico fermento totam fidei mas-
sam hæretico acore decepit.* Sed ejusmodi hominum seductorum, quod
olim in hypothesi ad Ciceronem perscripsit *Lentulus l. XII. epist. 14.*
*improbis alicando retundi, & non pati impunitate augeri, non so-
lùm utile est Reipubl. sed etiam necessarium.* Atque in eo sunt vires
Reipublicæ, juxta *Æschinem* orat. in *Timarch.* μὴ καταλύεσθαι ὑπὸ
τῶν παρανομούντων καὶ ἀσελγῶς βιβντων. Sæpe enim (scribit *Guevara Ho-
rolog. Princip. l. II. c. 38.*) bona per se Principum indoles improborum
consuetudine corrumpitur. Immo quorumcumq;: Maximum ergo lu-
crum est querere familiaritatem bonorum, juxta *Symmach. l. V. epist. 64.*

Εἰδῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν' δὲ κακοῖσι
συμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν εὐνοῦτα νόον,

scripsit *Theognis Megarensis v. 35.* Notabile est, quod Atheniensium
orator *Æschines* in accusatione *Timarchi* ex *Euripidis Phœnice* addu-
cit, qui ait se jam multarum rerum fuisse disceptatorem, neque ju-
dicia ē testimonijs, sed ē studijs & familiaritatibus fecisse, illuc respi-
cientem, quæ fuisset rei (τὸ κεινομένον) quotidiana vitæ consuetudo,
& quorum commercio gavisus esset (τίσι χαίρει πλησιάζων): denique
pronunciare non dubitat talem eum esse, quales ij sint, quorum consue-
tudine delectetur. Ad hypothesein ergo hæc accommodat *Æschines,*
talem

(*) Videndus etiam & legendus devotis ac pijs mentibus *Bernhardus*
Serm. XL. in Cantic. §. Tu ergo qui hæc audis &c, usq; ad finem.

talem concludens esse Timarchum, qualis esset Hegesander, cuius consuetudine ille delectaretur: Hegesandri autem studia esse, propter quæ αὐτὸν πρὸς ἄλλα οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσι δημηγορεῖν, Er thürffte nicht in congressibus publicis sich sehen lassen / erat ἀφρήτωρ, war aus dem Hand, wercke oder Zechen gestossen, Euripidis versus graves sunt & elegantes

Jam sæpe lectus acris litis arbiter,

Cùm multa concurrissent dicta testium,

statui diversum causâ adductus unicâ.

Et ego quidem sic (ratio ut ipsa postulat)

inquiro vera, mores intuens viri, &

quotidianæ vitæ consuetudinem:

Namq; improborum cui placet sodalitas,

is qui fiet vir, non rogo, sciens satis

sodaliū illum convenire moribus.

Affiduitate enim atque imitatione quædam similitudinis imago formatur, Ambrosius lib. de Bono mortis c. 9.

Τὰυτὰ μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλει, καὶ ποτε φήσεις
εὖ συμβαλέειν πῶσι φίλοιςιν ἐμέ,


ita ex eodem Poëtâ te alloquor, mea Juventus: Immò ex ipso sanctissimo Spiritus S. ore, Mein Kind wenn dich die bösen Duben locken / so folge nicht / Proverb. 1, 10: sed responde ex Job. XXXI, 1: 2: Psalm. XXXIX, 1: CXIX, 37. &c.

Quibus etiam extremum Te alloquor atq; instruo, MARTINE ANDREA STUBRITI, qui ab ipso xix. Maij die anni MDCLIX. nomine disciplinæ nostræ dato diligentiam atq; obedientiam debitam exhibuisti. Nomina tua baptismalia *Martiale* quidem quoddam spirant & virile, sed, quas hæcenus in annis adultioribus indolis tuæ significationes dedisti, barbariei potius bellum inferes, impietati, injustitiæ & impolitiæ, quàm bonis literis, linguis atq; moribus. Agnosces pro pietate Tua ex *Psalmo XCIII.* quem in mense *Januario* anni *MDC LXX.* carmine Latino hexametro & Germanico *Alexandrino* concinnè vestitum publicè recitasti, Dei *JEHOVÆ* nomen
solum

*solum esse altissimum in omni terrâ: eum ergò in omni angulo præsen-
tem reverberis, & ipse vicissim ad excelsos honores Te exaltabit.
Ita enim ipse dicit I. Samuel. II, 30: Honorantes me honorabo; & Ipsi-
us Filius CHRISTUS JESUS Johann. XII, 26: Siquis mihi ministraverit, co-
honestabit eum Pater. Velificaberis porrò, præsertim si studia Tua
Academica ex voto Consultiss. Dni Parentis ad ἀκμὴν & fastigium fe-
liciter pervenerint, sanctæ & intaminatæ Justitiæ, quam commen-
dabas ante hoc biennium mense Aprili in gloriosissimis Impp. Roma-
no-Germanicis LUDOVICIS. Et quia cum Salomone sapientissi-
mo hanc alloquutionem coëpi, cum eodem quoq; desinam & fini-
am dicente Proverb. XII, ult. Vidisti virum diligentem in opere suo?
ante reges consistet, non consistet ante obscuros. Etenim, loquor cum
Commentatore Anglo, non satis homini Christiano est in opere suo
faciendo occupari, nisi diligentiam porrò & sedulitatem adhibue-
rit: Segnes autem & desidiosi tametsi honesto loco nati & conditio-
ne vitæ non contemnendâ sint, suâ tamen ignaviâ in miseriam & i-
gnominiam aut proni decidunt aut sensim dilabuntur. Quòd si hoc
ad diligentiam in humanis negotijs præstandam incitamentum sit,
quòd diligentes coram regibus terrenis consistent; quanta nobis
diligentia in rebus divinis adhibenda est, ut coram Rege regum in
summis coelis perpetuo consistamus; istud enim ita usquequaque
certum non est, hoc verò ratum & stabile. Sis ergò devotus in pre-
cibus, in cultû divino assiduus, reverens erga Verbi divini doctores
ac ministros, candidus in conversationibus, verecundus in gestibus,
modestus in vestibus, verax in sermonibus, fidelis in operibus, sedulus
in negotijs, felix in consilijs, prudens in causis, integer in actionibus
cunctis: & quæcunq; parentum Christianorum vota sunt, sunt etiam mea. Audi Deus! & exaudi. Sed & hoc exaudi JESU CHRI-
STE, ut omnes & indigenæ & exteri in perpetuum.*

Saxonica Videant flores & germina rura.

P. P. Budissæ Lusator. Kalendis Julijs.



QX 9/221

VDH

m.c

ULB Halle

3

004 779 800





4842

RU


Subje

BUDI
SAXONI

Or

MAR

DRES



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black



XO

tudinis

ORALI

RIS MAR-

ORIS,

Co-

riâ,

BRIZ,



NNI,

